COMMENTATIO II. DE
ZOOLITHODENDROIDIS



RITTER

ALBERTI RITTER
GYMNASII ILFELDENSIS REGII
CON-RECTORIS

COMMENTATIO II.
DE

ZOOLITHO-DENDROIDIS

IN GENERE
ET IN SPECIE
DE

SCHVVARTZBVRGICO-SONDERSHVSANIS

CVRIOSISSIMIS AC FORMOSISSIMIS
VNA
CVM SVPPLEMENTO
RERVM NATVRALIVM ET CVRIOSARVM
HVIVS REGIONIS
IN LVCVBRATIVNCVLA II.
DE
ALABASTRIS SCHVVARTZBVRGICIS
QVONDAM A ME DELINEATARVM
IAM DENVO RECOGNITARVM ET AVCTARVM
TYPIS EXSCRIPTA
CVM FIGVRIS AENEIS

SONDERSHVSAE, MDCCXXXVI.



P*Ublicum hoc monumentum*
vt debitum, ita quoque accceptum
manifestumque grati animi pignus
dicatum esse voluit
Viro
Perillustri ac summe Venerabili
IUSTO CHRISTOPHORO
de *REICHE*
Serenissimi ac Potentissimi
Magnae Britanniae Regis
et Electoris Brunsuico-Luneburgici
Consiliario Iustitiae intimo
iuxta atque Administratori ac Praelato
Coenobii Ilfeldensis
obseruantissime colendo
honorando
Maecenati suo Gratiosissimo
Optimoque
in perennem memoriam
beneficiorum clarissimorum et maximorum

)(apud

apud me benignissime collatorum
vltra viginti annos
quos heic commoratus sum
operamque meam qualemcumque
Studiosae Iuuentuti
ea qua debui diligentia
inpendi
id quod aequum et iustum ducitur
prout eloquentissimus ille Romanus
rectissime monuit
Gratus debet esse
qui accepit beneficium
neque puto id praetermittendum
quod ingeniosus vrbanus facetusque
Comicus Plautus
his enunciauit verbis
Inprobus est homo
qui beneficium scit sumere
et reddere nescit.
Quare *Te*
Vir illustris et summe Venerabilis
Maecenas demississime venerande
colende
si a *Deo* discesseris benignissimo
maximeque reuerendo
quem benefaciendo egregia cum laude imitaris
secundum Senecae Christiani effatum
meae felicitatis terrenae totius
vnicum inceptorem

stato-

statorem
adauctorem
perfectoremque
agnosco habeo
pronuncio praedico
qua vero ratione mirifica ac plane diuina
haec beneficia reddere possim
non inuenio
etiamsi meam vitam *Tibi* offeram
quam et lubentissime offero
Facio itaque et persoluo
quae possum
ac preces ardentissimas fundo
ad sanctissimum benignissimumque
Dei numen
pro *Tua*
Maecenas gratiosissime
incolumitate constante
flore perpetuo
vigore omnibus bonis exoptatissimo
singulisque proficuo
Adaugeat porro vires *Tuas*
quum *senectus* iam ingrauescat
quae alias *ipsa morbus est.*
quemadmodum huc usque aquilae instar
singulari plane Dei gratia
senectutem exuisti
Protegat *Te*
in reliquum quoque tempus

 dextra

dextra sua forti
quo agas feliciter
iucunde
quiete semper
valeas amoenissime suauissime
in *Familiae Reichianae*
cuius felicitatem ad summum euexisti culmen
ornamentum plane eximium
non minus
in suauissimae optimaeque *Coniugis Tuae*
*Tuorum*que *liberorum*
tanto Patre dignissimorum
ac reliquorum amicissimorum
insignem voluptatem et maximam
Immo
in Clientum *Tibi* subiectissimorum
omniumque bonorum
tutamen ac solamen firmissimum
certissimum

sic vouet ex animo seque perpetuae gratiae *Tuae* submississime iterum iterumque commendat

Auctor.

MOENIA Troiugenum canere hic Mauortia gestit,
Caesaris ille frequens amphitheatra crepat.
Daedala Pyramidum tonat hic monumenta, sed ille
concelebrat Triuiae fana superba deae.
Ille Iouis cippos ructat Rhodiumque Colossum,
hic resonat Cariae regia tecta ducis.
Floribus Alcinoi croceis ille occinit hortos,
iactat hic auriferi fulua metalla Tagi.
Immo suas habuit lauros hederasque perennes,
artificum quidquid composuere manus.
Sed tamen haec superant, physice quae, LECTOR AMANDE,
Exhibet heic AVCTOR conspicienda TIBI.
Scilicet explicuit, quas dat Natura figuras,
quidquid et in gremio condidit ipsa suo.
Quam bene praelucent hinc mira problemata rerum,
vt quid iam dicam, non opus esse puto.
Si lubet, hunc, rerum Scrutator, volue libellum,
tunc mea, quo voluit littore, puppis erit.

Exquisitum hoc ingenii monumentum
sic adplaudere atque adprobare voluit

I. M. R.

Terra, parens VarIat sVa Corpora, qVae foVet In se,
Crebro Vt MIranDae sInt ratIonIs opVs.



PLVRIMA mirantur, rimantur pauca; sed ambo,
vt decet, ingenuis sunt facienda viris.
Namque quod est alias nimium mirabile, primum
displicet; adlata sed ratione, placet.
Id docet exemplo, penetrat qui cuncta mathesi;
qui simul ex physicis cuncta notanda probat,
Si lubet adspicias, *Lector* peramande, figuras,
quas *Auctor* variis rebus inesse putat.
Fallor? an insectae, lapides, arbustaque, tamquam
interitum nequeunt inde videre suum.
Sed quid plura loquar? quum commentatio monstrat
Auctoris nostri, quam bene cuncta quadrant.
Id modo iam precor, vt viuat feliciter *Auctor*,
quilibet et dicat: viuat, vt *Auctor*, opus.

amica adiecit manu
C. L. W.



B. C. D.

§. I.

EXSTARE quam plurimos rerum naturalium scriptores, qui de lapidibus, signatis mutorum brutorum, arbuscularum, fruticetorumque figuris, passim in suis operibus mentionem iniecerunt, oppido meminimus. Neque etiam nos hoc praeterit, priorum pauciores esse et rariores, posteriorum vero plures ac frequentiores, qui multa et iucunda de sic dictis dendritis scripserunt ac docuerunt. In primis vero laudatur et praedicatur *epistolaris* illa *dissertatio*, quam *de dendritis* peculiariter typis exscribi curauit excellentissimus *Scheuchzer*, Helueticorum alter Plinius, quem iam anno proximo peremtum omnes rerum arbitri conqueruntur: a) huic addenda insuper erit illa curiosa *dissertatio*, quam nouissimo tempore celeberrimus D. *Stobaeus*, singulare ornamentum academiae Lundensis Scandiae edidit, et de qua certiores sumus facti per litteras amici cuiusdam nobis quam honoratissimi, scriptura haec quum iam vltimam experta fuisset manum, *sistens historiam naturalem dendritae lapidumque cognatorum.* b) Nos quietissime gauderemus, fortuna si votis respondisset, nobisque dum de eadem materia scribimus, facultas concessa fuisset, laudatam epistolam et dissertationem perlustrandi. Ita enim confideremus, hoc opusculum, quod heic sistimus, paulo curatius a nobis confici et expoliri potuisse. Quamuis autem nos omni pene adiumento destitutos esse viderimus, nihil tamen nos deterrere potuit, quo minus coepta prosecuti simus. Inducebamur certis et iustis rationibus,

a) Hanc legere poteris in Ephemer. Acad. Caesar. Nat. Curios. Dec. III. Ann. V. VI. in Append. pag. 57.

b) Prodiit Londini Gothorum 1734. constat plagulis sex et tabulis aeneis quatuor.

quarum prima haec esse poterit, quod cuique scriptori sua est animi cogitatio, color et ordo proprius: altera, quia nobis videtur, nos hac ipsa scriptura gratum iis facturos, quorum animi iucunditate ac voluptate rerum naturalium capiuntur, in primis non vulgarium, quales in his pagellis cuique curioso ante oculos ponuntur, in summam sui, vt putamus, admirationem delectamentumque: tertia, quoniam de omnibus, quae videmus et generantur, inquirere, sapientiam conditoris ex omnibus perspicere, et hunc ipsum subiectissima perpetuaque veneratione adorare debemus. Cicero parens non minus eloquentiae, quam sapientiae, *Deum*, inquit, *non* quidem *videmus, eum tamen agnoscimus ex operibus suis.* a) Egregium sane et laudabile hoc est testimonium, quod etiam in sacro codice, quando diuus Paulus, tonitru gentium, edocet, quomodo summum Dei numen gentibus se non intestatum reliquerit, his verbis pronunciat: *Διοτι το γνωϛον τȣ Θεȣ φανερον εϛιν εν αυτοις; ο γαρ Θεος αυτοις εφανερωσε, τα γαρ αορατα αυτȣ απο κτισεως κοσμȣ, τοις ποιημασι νοȣμενα καθοραται, η τε αιδιος αυτȣ δυναμις και Θειοτης; Quoniam id, quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis; Deus enim illis manifestum fecit; ipsius namque inuisibilia iam inde a condito mundo ex iis, quae fecit, mente perpensa peruidentur, aeterna videlicet eius tum potentia, tum diuinitas.* b)

§. II.

Nomina quum rerum sint interpretes, iuxta haec notamus denominationem Zoolitho-Dendroidis esse decompositam et graecae originis, conflatam scilicet ex voculis *ζωον*, animal; non quidem ea significatione, quando Cicero hunc mundum *ζωον*, id eſt, animal intelligens, sapiens interpretatur, c) sed vulgari, quando de homine, brutis, immo minutissimis contemtissimisque insectis vsurpatur; porro *ο λιθος* lapis; adhuc ex *ο δενδρος, το δενδρον*, vel per pleonasmum *το δενδρεον* arbor, vel etiam *το δενδριον* arbuscula, parua arbor.

§. III.

Zoolitha germanice auditur der Thierſtein, de Dendrite autem vere dici potest, verba valent sicut nummi: varia enim sortitur nomina, sic a patria, seu vt physici loqui consueuerunt, a loco suo natali nominatur Pietra de Sinai, Pietre embuscate de monte Sinai, Lapis Sinai, marmor Sinaiticum, dendrita Sinaiticus, d) Dendrita Florentinus potius Vero-

a) Tusculan. Quaest. Lib. I. cap. 29.
b) Epist. ad Roman. cap. I. v. 19. 20.
c) de Natura Deorum libr. I. cap. 10.
d) Kircherus in Mundo subterr. libr. 8. Sect. I. pag. 39. Ferrandi Imperati in Histor. Natur. libr. 24. cap. 25. pag. 746.

Veronensis, a) Dendrites Pappenheimensis, b) plura eiuscemodi denominationis exempla infra adducemus; vel a figuris, quibus lapis communiter a natura pingitur, nomen adquirit, hinc est Alberine et Pietre emboscate, c) Pietra naturalmente delineata in figure, Pietre de Bosche, Pietra forte, d) Dendrochates, Dendrachata, Petra Dendrachata, e) Chorolithos, f) Lapis nemorosus, Saxum nemorosum, lapis frondosus, Dendrita, Dendrites, Dendroides, marmor Dendrites, g) Baumstein, Buschstein, Landschafftsstein; peculiare insuper nomen metallifossores huic lapidi indiderunt, quando illum dicunt Bluhmen, pro felici indicio habentes metallorum nobilium insecuturorum. h) Hae quidem nominationes singulae a scriptoribus lapidum figuratorum rerumque naturalium promiscue plerumque adhibentur, et vsurpantur tam de lapidibus, arboribus, fruticetis, quam foliis arborum, herbarum praeditis; ast Excellentissimus Kundmann i) distinguit nomina Dendrita et Dendroida vel Dendroides, illud solummodo indidit eiusmodi lapidibus, quibus vera arborum, herbarum folia sunt inpressa, vel in illis expressa, hoc iis praecipue tribuit lapidibus, qui meris arboribus, fruticetis sunt naturae lusu ornati.

§. IV.

Verum enim vero sub censum nostrum iam non veniunt Zoolithae propriissime sic dicendi, quando scilicet lapidibus includuntur, vel inclusa quondam fuerunt animalcula vel vera, vel petrifacta, vel quae minimum sui imaginem reliquerunt, etiam horum partes, seu particulae; et liceat nobis exempla quaedam extantiora in rei testimonium ex probatissimis scriptis heic adponere. Sic relatum legimus:

In *succino Prussico* vulgo Bernstein esse visam *lacertam*, quod singulare donum Jesuitae Kirchero oblatum ab Augusto doctissimo Principe Brunsuicensium; k) porro *ranam* ordinariam, quam possedit

a) Excellent. D. Bruckmann Epist. Itiner. 25. pag. 4. sq.
b) Baier Oryctogr. Nor. pag. 44.
c) Museum Cospinian. pag. 147. item Mus. Wormian. pag. 44.
d) Scheuchzer Mus. Diluuian. pag. 17.
e) Mylius in Saxonia sua Subterr. Part. I. pag. 57.
f) Büttner Coralliograph. Subterr. pag. 4.
g) Mylius ex Aldrouandi Museo Metallico l. c. pag. cit. Imperati Hist. Natur. pag 745. sq.
h) Mylius l. c. Büttner Rud. Dil. Test. pag. 125.
i) Kundmann in Promtuario pag. 221. sqq. et pag. 238. sqq.
k) Francisci Ost=West=Indianischer und Sinesischer Lust=und Staats=Garten p. 183. sq.

Cardinalis Barberini, a) et *ranulam viridem* vulgo Laubfrosch, adseruatam tamquam raritatem in Bibliotheca Viennensi; b) adhuc *formicam*, de qua Martialis c) sententiarum argutarum magister, scriptor insuper parum verecundus suo tempore cecinit:

Dum phaethontea formica vagatur in vmbra,
implicuit tenuem succina gutta feram.

araneas, locustas, pisces minutos et alia scientes praetermittimus. d)

In *lapide fissili* et quidem

Isenaco-Kupfersuhlano belluam illam immanem *Crocodilum*, incolam Nili fluminisque Indi, trium pedum rhenanorum longitudine elegantissime signatum, ex fodina cuprea extractum, testante Spenero piae memoriae. e)

Ex eodem loco et ex hac ipsa fodina similem *Crocodilum* duos pedes rhenanos et octo pollices longum delineauit, etiam aeri incidi curauit, in peculiari epistola ad excellentissimum Woodward, Medic. et Physic. Anglican. longe celeberrimum B. Lincke, Apothecarius Lipsiensis experientissimus, curiosissimus. f)

Würtenbergico-Omdamensi monstrum illud horrendum maris Caspici vel Indici *Caput Medusae*, cuius similitudinem habet, g) Rumphio dictum, sed petrifactum, quod B. Hiemer, Theol. Doct. Concionar. et Confession. aulic. Würtemberg. in singulari dissertatiuncula epistolari exposuit, etiam huius typum elegantem cum doctis communicauit. h)

Hercynico, optime expressam *lacertam*, omnino rarissimam hinc illam a B. Scheuch-

a) Francisci loc. cit. et pag. cit.

b) Hartmann Histor. Succini Prussici pag. 90.

c) Libro VI. Epigr. 15.

d) Hartmann l. c. pag. 90. sqq. Reuerendi Lesseri Lithotheologia pag. 129. sqq. Scheuchzeri Physica Part. II. pag. 252.

e) Miscellanea Berolinensia pag. 99. sqq. fig. 24. Büttneri Rudera Diluuii Testes pag. 291. tab. 26.

f) quae prodiit Lipsiae MDCCXXVIII.

g) Medusa poetis Gorgon quoque auditur, ita dicta παρα το γοργον των οφταλμων, a terribili adspectu oculorum, quare Martialis libr. 9. cap. 26.

Auertam vultus, tanquam mihi pocula Gorgon
porrigat atque oculos oraque nostra tegam.

transmutationem vero Medusae Ouidius libr. IV. Metamorph. versu 800. his commemorat verbis.

Gorgoneum turpes crinem mutavit in hydros.

h) In vulgus edita Stutgardiae.

B. Scheuchzero in opus suum exquisitissimum Vindiciae et Querelae Piscium inscriptum; a) similiter ab Excellentissimo Brückmanno ornamento Germaniae nostrae eruditae, in opus suum curiosissimum Thesaurus Subterraneus Ducatus Brunsuigii titulum gerens, b) cuius continuationem Curiosi auide exspectant, iure meritoque relatam, aerique nitide insculptam videmus. Pisces Osterodanos, c) Hermannsackeranos seu Buchholzianos, d) Breitungenses ex huius fodinis cuprariis, notissimos quippe iam intactos relinquimus. Breitungen vero est pagus Stolbergo-Rossellanus.

In lapide fissili *Mansfeldico-Islebiensi Salamandrum*, itemque *ranam* repertum esse testatur Libauius, e) et praeter innumeros pisces halecum simulacra repraesentantes *lucium* incuruatum elegantem, ipsos duos pedes longum, f) adhuc alium piscem emetientem pedem rhenanum ipsum et sex pollices in longitudine, tres vero et semipollices in latitudine, nullo autem nomine praeditum refert Mylius. g)

Liceat nobis hac optata occasione in medium proferre rarissimum et maximum vtique piscem, qui vmquam lapidi scissili inpressus ante oculos curiosorum positus, vel de quo vmquam auditum fuit. Adlatus is est ex Bohemia pro parata pecunia procuratione celeberrimi D. Brückmanni, ac id nobis benigne significauit litteris, et adseruatur sepositus in technophylacio rarioribus omnino et partim pretiosis naturae rebus referto Excellentissimi D. Burchardi, Consiliarii et Archiatri Wolffenbüttelensis, ipsos enim quatuor pedes adaequat in longitudine.

In confini terris Mansfeldensibus dominio Leucopetrensi Sangerhausen quoque effodiuntur lapides fissiles cupro praegnantes cum signaturis fluuiatilium animalium, quale *soleam* scilicet notauit, huius quoque iconem addidit Mylius in Saxonia sua Subterranea, h) capite quamuis carens, quod putat amissum fuisse vehementio-

a) pag. 30. tab. IV.
b) pag. 41. sq. tab. III.
c) Miscellan-Berolin. pag. 119. Büttner Rudera Diluu. Test. p. 228. Commentatio nostra Epistol. I. de Fossil. Osterodan. p. 16.
d) Excellent. Brückmann Magnal. Part. I. pag. 188. Venerand. Lesser Epist. de Lap. cur. Nordhusan. p. 10. Lucubr. nostra I. de Alabast. Hohnstein. p. 15. sq.
e) Libro VIII. pag. 1085. Miscell. Berolin. pag. 105.
f) Lucubr. nostr. I. de Alabastr. Hohnstein. pag. 16.
g) Saxon. Subterr. Part. I. pag. 4. fig. 1.
h) Part. II. pag. 85. sq.

mentiori motu aquae vel lacunae lutosae: dumque scribimus haec, memoria nobis iucunda renouatur, quando nimirum ante plures quam viginti annos ipsi legimus tabulam scissilis lapidis nigri erutam ex fodina cuprea ad pagum Tabartz ducatus Gothani in Thuringia, ad ipsas syluae thuringicae famigeratissimae montiumque Thuringicorum radices situm, qua in conspiciebatur *Solea* nigrioris coloris integra adhuc, cum pinnis suis et cauda, ipsum pedem longa, etiam lata, elegantissime insuper expressa, quam dono tunc obtulimus Venerabili Abbati Schmidio, perpetuo Juliae celebratissimae ornamento, Præceptori quondam nostro etiam post pia fata venerando, cuius fideli institutione, hospitio atque conuictu tres totos annos sumus fruiti, huius in technophylacio rerum artificialium et naturalium plenissimo erat adseruata, cum vero hoc paucos ante annos auctione publica distractum, in cuius manus nunc illud rarissimum exemplar peruenerit, ignoramus.

Sic dictis *renibus lapidis fissilis* vulgo Schiefernieren *Ilmenauiensibus*, malleo diffractis, quod metallici adpellant zersetzen, zerstuffen, praeter pisces, de quibus singulare exemplum describit, huiusque speciem aeri caelatam adiecit Mylius in Saxonia Subterranea, a) quia alter oculus eminens, lucens, vt et nonnullae sqammarum, adhuc pars media capitis, quam hinc cerebrum putes, splendent, luridae quippe, communiter mit bleyglantz überzogen: similiter Experientissimus D. Brückmann in Epist. Itiner. b) adducit memorabilem piscem, quia loco capitis anterior pars cancri fluuiatilis in vno latere lapidis eminenter, in altero autem depresse, nitide tamen adparet, quem ipsi in nostris scriniis sepositum habemus; olim fuit inclusus repertus *cancer fluuiaticus* integer ex omnibus partibus elegantissime expressus, in vna lapidis parte eminebat, in altera vero deprimebatur, hunc possedit quondam Venerabilis Abbas Schmidius piae memoriae, quem pro sua humanitate et gratificatione cum eruditis curiosis communicauit in Miscellan. Berolin. c) icon autem simul adiecta minus bene et distincte aeri insculpta.

In *marmore scissili Eichstadiensi* integra sceleta piscium varii generis, immo ipsa ossa naturalia et petrifacta formosissima conspiciuntur, aliqua horum exempla possidemus; praeterea in hoc eodem lapide

a) Parte I. pag. 47. fig. 1.
b) Epistola XXXII. pag. 8.
c) pag. 99. fig. 20. 21.

de vidimus cancrum fluuiatilem minorem, quoad formam externam eminenter expressum in scrinio rebus naturalibus dicato Excellent. D. Albrecht in illustri Casimiriano P. P. O. Fautoris et Amici nostri aestumatissimi atque suauissimi; similes habet Mylius in Saxonia Subterranea; a) et cui non admirationem iniiciat summam *mus aquatilis* diluuianus, quam repraesentat Mylius l. c. b)

Denique curioso lectori praeter Baieri *cancrum fluuiatilem* rarissimum, integrum, gaudens brachiis suis atque chelis, petrifactum, petrae quoque inuolutum, c) vnum adhuc oculis certe gratissimum spectaculum proponimus in animi sui delectamentum *sceleta* nimirum *piscium* rarissima, in lapidicina calcaria in vicinitate marchici oppidi Ruppin quodam tempore reperta, quae rubri, potius *rufi* sunt *coloris*, albissimo lapidi calcario subtiliori inpressa, hos allegauit Büttner in Ruderibus Diluuii Testibus; d) pluribus vero commemorat Mylius in Saxonia Subterranea; e) et nos superioribus temporibus, quum haberemus curam atque obseruationem Collectionis rerum naturalium et artificialium perrarae B. Abbatis Schmidii, non sine voluptate duo exemplaria piscium Ruppinensium minorum, vix namque longitudinem digiti superabant, elegantissime signatorum, saepius his nostris palpauimus manibus, igitur testes rei oculares sumus. Lapides enim Esperstadenses, Principatus Querfurt, ossibus variorum animalium veris repletos, quorum possessores ipsi sumus, insuper euolui et videri quoque possunt in Büttneri Ruder. Dil. Testibus, f) non minus lapides ossibus auium praegnantes montis Hassiaci, vnde nomen accepisse creditur der Vogelsberg, g) notissimos quippe, remque peruulgatam mittimus lubentes.

Neque heic sermo est de Dendritis, vt diximus, sensu latiori sumtis, quando scilicet tales denotant lapides, qui florum foliis, arborum, variarum herbarum indigenarum, exoticarum sunt signati, de quibus iam exempli gratia in medium proferre nobis sit licitum:

a) Part. II. pag. 88. fig. 2. 3. piscium vero sceleta pag. 86. fig. 1. sq. et Scheuchzer Querel. et Vindic. Pisc. tab. I. et II.

b) Part. II. pag. 88. fig. I.

c) Vide eius Supplementa Oryct. Noric. p. 57. tab. III. fig. 6. venerand. Lesser Lithotheologia pag. 563.

d) pag. 229.

e) Part. I. pag. 12. sq.

f) pag. 220. sq. tab. XXIV. et XXV.

g) venerand. Lesser Lithotheologia p. 565. num. XII.

Muscum verum in elegantissimo achate cinereo, rubro, flauo, puniceo, pellucido, optime polito ex Heluetia, quem ipsi possidemus ex liberali donatione venerandi Lesseri, Pastoris Nordhusani meritissimi, amici nostri suauissimi, naturae scrutatoris curiosi ac felicis.

Algam veram succino prussico inuolutam. a)

Gramen verum crystallo montanae pentagonae inclusum; item foliola fruticis non cognominati, vtraque terrae Helueticae, adhuc muscum verum. b)

Typum *aristae* perfectissimum reni lapidis fissilis nigri Ilmenauiensis inclusae, nigrioris adhuc et splendentis coloris, quae adparet ex vna parte depressa, ex altera vero parte elatior, horum lapidum duo possidemus exemplaria nitida, simillima vtique exacte iis, quae descripsit delineavitque Mylius in Saxonia sua Subterranea. c)

Marmor lucido - uiride Saxo Chemnicense herbis variis punicei coloris praeditum, rarius quamuis inuenitur. d)

Flores varii generis conspiciuntur eleganter expressi in lapidibus quibusdam Arabiae, et montis lege diuina in illo Mosi publicata satis noti Sinai testantibus Volckmanno e) et Mylio; f) his addimus lapides fissiles Sangerhusa-Bottendorfienses floribus variis signatos. g) et nominatim in lapide scissili aurei coloris Silesiaco videtur *aster praecox* maior flore coeruleo, etiam *iacea nigra* pratensis lutifolia, h) et in pyrita Saxo-Chemnicensi *chamedrys*, vulgo vergiß mein nicht. i) *Folium salicis saxatilis* lapidi scissili lucido - caesio Silesiae nitide inpressum, simul cum toto ramulo fumariae officinalis. k) itemque *folia filicis* ramosae, non dentatae floridae. l)

In lapide scissili Gothano - Manebacensi plura quam triginta herbarum varia genera curiosi obseruarunt, inprimis copioseque reperitur polypodium, equisetum et filix, harum, sicuti etiam piscium Ilmenauiensium raram collectionem Consiliarius metallicus et fodina-

a) Hartmann l. c. pag. 94.

b) Excell. D. Brückmann Magnalia Dei Part. II. pag. 50. cum adiectis figuris, et B. Scheuchzer in Itiner. Heluet. p. 74. tab. III. fig. 12. & 13.

c) Part. I. pag. 6. fig. 4. item pag. 15.

d) Volckmann Silesia Subterr. pag. 36.

e) l. c. pag. 113.

f) l. c. Part. I. pag. 28.

g) Mylius l. c. Part. I. pag. 55.

h) Volckmann l. c. pag. 113. tab. XV. fig. 5. & 6.

i) Mylius l. c. Part. I. pag. 70. fol. 74. num. 3.

k) Volckmann l. c. pag. 111. tab. XIV. fig. 3. l) idem ibidem fig. 1.

dinarum metallicarum Inspector supremus, Dominus Hayne, ex cuius liberalitate, eum quondam visitantes, habemus ipsi aliquot illarum elegantia exemplaria, adseruabat, quam vero pro numerata pecunia suam fecit supra commemoratus Excellent. D. Burchardi, Consiliarius et Archiater Wolffenbüttelanus. Lapis ipse est, vel niger, vel nigricans, vel albicans, sic etiam figurae vel planae, vel depressae, vel elatiores, vltimum cum Kupfersuhlensibus commune habent; non minus color est modo nigrior, modo puniceus, liuidus, argenteus, modo aureus, prout scilicet effluuia metallica concurrerunt. a)

In fissili lapide Silesiaco videntur nominatim myrrhis syluestris, frondes de pinu syluestri, nigella aruensis cornuta, trichomanes minerale foliis integris mucronatis, de quibus, multisque aliis euolui potest Volckmann in saepius citata Silesia Subterranea, b) insuper addit equisetum palustre longioribus setis. c)

Similiter in carbonibus lapideis deprehenduntur simulacra foliorum, plantarum, tanta exactitudine delineata, vt nulla arte viuidius exprimi possint; de Anglicanis Camdenius in sua Britannia d) ita scribit; „Plantarum repraesentationes saepius deprehendi in carbonariis tegulae cuidam nigrae inpressas; tam autem hae figurae, plantarum scilicet, variae, vt in tot fere species diuidi possint, in quot plantae ipsae in superficie terrae nascentes; neque fodinae carbonariae Germaniae nostrae his deliciis sunt infoecundae, potius Wettinenses & Silesiacae illis abundant.

Denique agmen claudat Tophus praegnans variis arborum foliis, hinc nomen quoque habet Lithobiblia, quercicis nimirum, fageis, saligneis et aliis, quales tophi sunt prae multis reliquis Koenigslutteranus, e) Jenensis, f) et praeterito demum anno curiosis in Relationibus Goettingensibus indicatus tophus Goettingensis albissimus, in quo etiam plures conchulae naturales reperiuntur; g) de horum generatione et explicatione facili, menti tamen conueniente nouam nobis per litteras retulit sententiam longe celeberrimus Dn. Hollmann. P.P.O.

a) Mylius in Saxonia Subt. Part. I. pag. 17. sqq. adiectis figuris.
b) pag. 107. sqq. tab. XI. vsque XV.
c) idem l. c. pag. 333. Part. III. tab. IV. fig. 7.
d) pag. 692. lege quoque sis Raii Betrachtungen von der Welt Anfang, Veränderung und Untergang, pag. 177. sqq.
e) Doctiss. D. Brückmann in Thes. Subt. Duc. Brunsu. p. 92. tab. XVIII.
f) Schuttei Oryctogr. Jenens. pag. 51.
g) Das XXV. Stück 1735. pag. 3. sqq.

academiae nouissime institutae Goettingensis, Fautor noster colendissimus, humanissimus, cum nos doceret de curiosa sane foliorum anatomia, ab oculatissimo D. Ruyschio Batauo inuenta, a se autem ipso absoluta, a) quae haec est, adponam bona huius cum venia ex litteris verba ipsissima: „Ab his foliorum sceletis deriuo subtilissimas arbuscularum quarumdam in lapidibus delineationes, quibus „nihil fere simile alias in natura deprehendimus; facile enim, parenchymate foliorum cum cuticulis putredine corrupto, sceleton, „quod adhuc superstes est, luto, ex quo lapis postea oritur, figuram „suam inprimit, inpressamque relinquit.„ Facilius quoque huic sententiae subscribimus, praecipue quando in topho Jenensi, in fonte dem Fürstenbrunn in proximitate vrbis Jenae, aliisque saepius eiusmodi foliorum sceleta adhuc integra reperimus, quam si nonnulli hanc foliorum metamorphosin nulla vrgente necessitate ad naturae lusum ablegant, quotidiana experientia et oculari inspectione quamuis repugnante; vel etiam patroni stant fortiter pro sententia alius erroris, somniantes quando monent, b) semen in lutum cadere, ab illo includi, sicque progigni folium, sed quare solummodo folia arborum, cur non potius totas arbores? cum arbor folium, non folium arborem progerminet, nisi natura inuertatur, et gallina sit prior ouo.

§. V.

Potius his praemissis *Zoolitho-Dendroides* nostra et aliorum sententia erit lapis, qui animalium terrestrium, aereorum et aquaticorum simulacra vel integra, vel mutila, itemque arborum, arbuscularum, fruticetorum simulacra nitide, immo quam nitidissime in summam adspicientium admirationem, summumque oculorum delectamentum forma diminuta, en miniature, ante oculos nostros ponit, qualia neque caelator aeris adprime bonus acutissimo suo stylo fingere poterit. c)

§. VI.

Differentia autem Dendroidum varia, eaque maxima est, quantum in nostra erit potestate, praecipuas enarrabimus, ceteras ex auctoribus vel

a) vide Göttingische Nachrichten XXX. Stück 1735. p. 4. inprimis Commerc. Litter. Norimb. 1732. hebdom. 10. p. 73. hebd. 34. p. 167.

b) Kircherus Mund. Subterran. Part. II. Sect. I. pag. 38. et 41. idem in Arte Magna Luc. et Vmbr. pag. 3. et 708. Libauius libr. VIII. pag. 1089.

c) Baier Oryctogr. Noric. pag. 44. Langius Histor. Lapid. Figur. Heluet. pag. 39. D. Albrecht in Programm. inaugur. cum Profession. publ. in illustri Casimiriano 1734. susciperet.

vel propria experientia supplendas lectori naturae amatori iure meritoque relinquimus. Sic differunt, quorum exemplaria minimum vel ad oculos nostros peruenerunt; vel in scriptis curiosorum relata nobis occurrerunt,

1) ratione patriae vel loci natalis, Dendroidem quando suppeditat

Europa, et in hac

Germania nostra, speciatim nominatimque

Tyrol comit. princip. Volckman. Siles. Subterr. pag. 36.

Oeningen Episc. Constant. Scheuchzer Herbar. Diluuian. pag. 31.

Eichstaed Francon. Baier Oryctogr. Nor. pag. 44.

Cronvveissenburg Francon. Volckmann Siles. Subterr. p. 36. et 57. Mylius Saxon. Subterr. Part. I. pag. 52.

Solnhofen comit. Pappenheim, Kundmann Promtuar. Vratislau. pag. 222. Scheuchzer Herbar. Diluuian. pag. 29. Baier Oryct. Nor. p. 44.

Altorff Noricum, Baier l. c. p. c.

Wonsiedel marchion. Bayreuth, celeberr. D. Brückmann Magnalia Dei Part. I. pag. 87.

Sonnenberg duc. Coburg, Excellent. Brückmann l. c. Part. II. pag. 169.

Suhl comitat. princip. Henneberg, Mylius Saxon. subterr. Part. I. pag. 57. sq.

Schweinfurt, Francon. Mylius l. c. pag. 52.

Rothenburg, Franc. Volckmann Siles. Subterr. pag. 36.

Franckenberg Hassiae, D. Liebknecht Specimen Hassiae Subterr. pag. 167.

Eisenach Thuringiae, Mylius, l. c. pag. 51.

Ohrdruff ducat. Gothani Thuring. singulare prorsus exemplum huius litteratiss. et curiosiss. Dn. Gleichmann Secretarius Weissenfels. fautor et amicus noster plurimum aestimandus in peculiari epistola latina 1735. publicauit; vide sis Thüringische Nachrichten von Gelehrten Sachen 1735. num. XXVI. pag. 280.

Manebach ducat. Gothe, Valentini Musaeum Musaeorum Part. II. pag. 32.

Ilmenau ducat. Vinariens. Mylius l. c. p. 49.

Saalfeld duc. Altenburg. Schütte Oryct. Jenens. pag. 71. Mylius l. c. Part. I. pag. 51.

Jena ducat. Isenac. a Melle de lapid. figur. agri littorisque Lubec. pag. 23. Mylius l. c.

Altenburg, Scheuchzer Mus. Diluuian. pag. 8.

Gera Vogtlandiae, Volckmann l. c. pag. 57.

Querfurt Thuringiae, Büttner Rudera Diluuii Testes pag. 124.

Mannsfeld Thuringiae Kundmann l. c. p. 75.

Bottendorff Sangerhusa-Thuringiae, Lerche Oryctogr. Hallens. pag. 22. et 25.

HoltzEngel Sondershusa-Thuring. Lucubratiuncula nostra II. de Alab. Schvvartzburg. pag. 22.

Bleicherode, Walckenried, Ilfeld, Buchholtz } Comit. Honstein-Thuring. venerand. Lesser epist. latina de Lapid. curios. Northus. pag. 9. et Lucubrat. nostra I. de Alabast. Honst. pag. 12.

Wolffenbüttel, Excellent. Brückmann in litteris ad me datis.

Osnabrück Westphaliae, venerand. Lesser in Lithotheol. p. 407.

Custrun Marchiae, Kundmann Promt. Vratisl. pag. 221.

Goslaria Hercyniae, Oryctographia nostra epistolica Goslariensis p. 11. Lubec, a Melle de Lap. fig. agri littorisque Lubec. p. 23.

Bohemia

Glatz comitat. Scheuchzer Mus. Diluuian. p. 8.

Silesia

Neustadt, Kundmann l. c. pag. 68.

Massel, Hermann Maslograph. p. 227. ejusd. Monum. Gratitud. marm. pag. 22.

Schvveidnitz, Cuntzendorf, Lemberg, Hirschberg } Volckmann l. c. pag. 58. sq. item pag. 328.

Heluetia vid. Scheuchzer Herbarium Diluuian. pag. 31. tab. 8. ejusd. Meteorol. et Oryctogr. Heluet. pag. 203. Langius de Lapid. fig. Heluetiae pag. 39. sq.

Italia

Florentia, potius Verona, Doctiss. D. Brückm. Epist. Itin. XXV. Lachmund Oryctogr. Hildesheim. pag. 14. Francisci O. W. J. Chin. Lust-Staats-Garten p. 162. tab. 3. num. 7. item Scheuchzer Mus. Diluuian. pag. 16.

Bononia Status Eccles. Scheuchzer Mus. Diluuianum pag. 16.

Sicilia insula et *Elua*, Bonanni Musaeum Kircherianum p. 208.

Gallia, Büttner Rudera Diluu. Test. p. 124. Scheuchz. Mus. Diluu. p. 16.
Scotia, Sebaldi Scotia Illust. Part. II. libr. IV. cap. 3.
Suecia, Excellent. D. Stobaei Histor. nat. Dendr. et cognat. Lapid. p. 21. num. 35. item Bromelii Lithogr. Suec. Spec. IIdum adhuc Acta litter. Suec. 1725. Trim. III. p 63.
Polonia, Rzoczynsky Historia Naturalis Poloniae pag. 33.
Moscouia, haec terra quondam inculta, inhumana, inpolita, indocta, nunc incipit cultior, humanior, politior, doctior fieri, et caput extollere altius, adhuc quidem se plerumque exornat et superbit pennis alienis, quum extranei sint plerique in illa viri eruditione praestantes; Sed quis scit, an non Russi post aliquot tempus litteratissimos quoque populos palma prohibeant: praeter alias, quas excolunt, scientias artesque studium etiam physicum illis curae cordique est, sic praeterito anno in nouellis publicis legimus, ex Siberia immani et inhabitabili varia naturae curiosa, nominatim amianthum rarissimum, varios lapides figuratos, varias conchas petrifactas, varia marmora, achates, iaspides, etiam ipsum dendroidem Petriburgum adlata et seposita fuisse in caesareo technophylacio pretiosissimo et instructissimo, quod haut paruum ornamentum obtinuisset, adiuncto a Caesare Petro I. pro numerata pecunia, viginti scilicet millibus florenorum hollandicorum, technophylacio singulari et eximio supra laudati Ruyschii, quo in praecipue rarissima anatomica et balsamica occurrebant plurima et miranda, immo inaudita, nisi hic inaestimabilis thesaurus anatomicus in itinere fluctibus maritimis oppressus fuisset.

Asia, et in hac
China, Francisci O. W. Indianische auch Chinesische Lust-und Staats-Garten pag. 1149.
Surate vrbs magni Mogulis, hinc adferuntur dendrachatae elegantissimi, horum exempla duo nitida ipsi possidemus, quae nobis Excellent. D. Brückmann et Venerand. Pastor Lesser bini amici nostri amantissimi dono beneuole obtulerunt, vnus arbusculum rufum, alter nigrum repraesentat pulcerrime; hic est Δενδρίτης λίθος, dendritis gemma, Plinius libr. 36. cap. 11.

Africa, et in hac
Arabia, in primis
Sinai mons, Kircherus Mund. Subterr. libr. VIII. Sect. I. pag. 39. Imperati Histor. Natural. libro 24. cap. 25. pag. 746. Wormius Mus. libr. I. cap. 4. pag. 45.

America, Mylius Saxon. Subterr. Part. I. p. 52. reliqua.

2)ra-

2.) ratione materiae vel lapidum, horumque colorum, quibus arbusculae, fruticeta, animalcula, alia, mire sunt a natura polydaedala inpictae; sic etiam notandum, lapidem plerumque esse scissilem, schieferig, klüftig, modo latiorem, modo graciliorem, interdum et globosum:

Sic arbusculis vel fruticetis ornati sunt sequentes vel nobiles vel ignobiles lapides:

Chalcedonius pellucidus, Bonanni Musaeum Kircherian. p. 208.

Achates Suratensis, alii, Amboinische Raritaetenkammer tabula 55. Mercati Metallotheca pag. 272.

Succinum Prussicum, Mylius Sax. Subt. Part. I. p. 74. num. 5. Celeberr. D. Brückmann Magnalia Dei Part. II. p. 931. tab. 33. fig. 4.

Crystallus angularis montana et pellucida ex Heluetia, Experient. D. Brückmann l. c. Parte II. pag. 69. tab. I. fig. 12.

Quartzum Suhlanum, Mylius l. c. Parte I. pag. 58.

Morochthus lapis, vulgo Schmerstein, Wonsidelanus et Sonnenbergicus; potius est terra pinguis, quae igne coquitur.

Marmor candidum, flauescens, cinereum, Veronense vel Florentinum, Cronvveissenburgicum, Eichstadiense, Suhlanum;
marmor flauum Heluetieum, Rothenburgicum;
mormor carneum Suhlanum;
marmor albo-uiride Polonicum;
marmor versicolor, Chinense, Scoticum, et Altenburgicum.

Lapis fissilis alluminosus Andrarumensis Suecicus.

Lapis calcarius albus vel cinereus, Wolffenbüttelensis, Franckenbergensis, Querfurtensis, Geranus, Lembergicus, Florentinus.

Lapis scissilis niger, Mansfeldensis, Bottendorffiensis, Ilfeldensis, Buchholtzianus.

Lapis scissilis rubens, Glacensis.

Lapis ferreus, Suhlanus.

Marga candida fissilis, Francic.
Lucido-flaua, Cuntzendorffiensis.

Lapis arenosus, reliqui fere omnes.

Ceterum Kircherus aptissimam formandarum imaginum materiam achatem, iaspidem et marmor putat.

3.) ratione *coloris*, communissimus quidem dendroidum color est niger, sunt vero et alii colores quamuis rariores, quibus fruticeta et arbusculae tinctae adparent, sic gaudent
rubro colore in marmore Cronvveissenburgico, item Suhlano.
cinnabarino colore in achate Suratensi.
argenteo colore in lapide ferreo Suhlano.

viola-

violaceo colore in marmore non nominato, vener. Lesser de nat. et art. Speciminibus Musaei Hofmanniani pag.5.
badio colore in marmore Rothenburgico, Volckmann l. c. p. 36.
puniceo colore in achate Suratensi.
flauo colore in marmore Rothenburgico, Heluetico, in succino prussico, et in crystallo Heluetico.

Praeterea in nonnullis dendroidis obseruauimus ab initio colorem esse nigrum, in medio puniceum, circa extremitates flauescentem, quem hinc vmbram habeas; adhuc in aliis ab initio colorem nigriorem, in medio subaquilum, circa finem iterum nigrum; horum aliquot specimina ipsi adseruamus; etiam permixtos colores in nonnullis, qualem possidemus elegantissimum, rarissimum Eichstadiensem, magnitudine ipsam palmam excedentem, pictum colore modo subcaeruleo, modo flauo. Color autem magis vel minus tinctus deducendus erit a maiori vel minori succi tingentis adfluentia, siue a sulphure quoque magis vel minus exaltato.

4) ratione *bonitatis*, quae consistet partim in arenosarum particularum subtilitate, harumque compactione, partim in duritie, his enim bene constitutis, politura insequetur optima, & tunc lapis longe iucundior oculis, non minus tactui mollior erit atque gratior; sed sciamus, ex enumeratis lapidibus prae ceteris bonam admittere polituram chalcedonium, achatem, succinum, morochtum lapidem, Schmerstein, marmor Florentinum vel Veronense; quamuis vero nonnulli lapides ipsi interdum marmori non cedant duritie, tamen poliri non poterunt propter vel asperitatem particularum illos constituentium, vel nimis intermixtum lutum, vel etiam, quia arbusculae lapidem non penetrant, sed modo in eius superficie haerent, et hoc est, quod vnice desideramus in Dendroidis Franconicis Eichstadiensibus, Cronweisenburgicis, qui ceterum facile omnium sunt formosissimi, curiosissimi. Bonitas insuper erit, quando repraesentationes quaeque perspicue, plane pleneque oculis nostris sese exhibebunt.

5) Ratione figurarum vel imaginum in lapidibus a pingente natura expressarum: dictae syluae, fruticeta, arbusculae haut adeo multum inter se differunt, nisi quod diximus de coloribus, plerumque non sunt absimiles musco, quare etiam nonnulli eruditi illas veri musci typum, minus tamen congrue, iudicant; quasdam vero arbusculas adpellare, ideo haesitamus, quia indigent trunco, vnicum exemplar inter aliquot centena nobis occurrit, cui vere nomen arbuscula dari poterat, gaudebat quippe radicibus, trunco, ramis pluribus diffusis, solummodo foliis destituta, ac arbores solent tempore hyemali, ceterum pulcerrime picta

in lapide fissili nigro, nigriore adhuc colore erat et splendente, magnitudine vel altitudine ipsum pedem superabat, lapis extractus fuerat ex illa ipsa fodina cupraria ad pagum Gothanum Tabarz, ex qua solea rara supra commemorata effossa, hinc Venerabili Abbati Schmidio piae memoriae simul hi duo lapides a nobis dono sunt transmissi: potius eiusmodi arbusculas frondes arborum dicendas autumamus, quibus similiores, quam arboribus ipsis, interim in verbis simus faciles, modo in re ipsa conueniamus; dictarum arbuscularum origo erit communiter fissura quaedam lapidis, ad cuius vtraque latera ramuli a ludente natura formantur, vel magis vel minus patuli. Maior contra ea diuersitas est imaginum reliquarum, sic adparuit

Christus cruci affixus, nubibus circumdatus, cum translucentibus solis radiis et luna obscurata, ad crucem duae imagines genibus nixae videntur, harum altera quasi cucullo circumdata in achate, vide venerandi Lesseri Lithotheol. pag. 401. & fig. num. 2.

Christus medio corpore fascia circumuolutus cum sole minus splendente et crucis inscriptione in marmore, adseruatur in regio technophylacio Danico; Jacobaei Mus. Reg. Hafniens. fol. 46.

Christus in lapide scissili nigro Ilmenauiensi; Mylius Saxon. Subterr. Part. I. p. 50. talem lapidem ipsi vidimus, sed minus bene signatum.

Christus in lapide fissili Islebiensi; Colerus im Fischbuch cap. 8.

Christus cruce dependens, coronam spineam in capite gerens in marmore, quod sepositum et reconditum habetur in monasterio Carthusiano prope vrbem Pauiam Italiae; Francisci O. W. Indian. auch Chines. Lust-Staats-Garten pag. 163.

Christus sinistra manu calicem tenens in rene lapidis fissilis Ilmenauiensis; Mylius l. c. pag. 46.

Christi baptisma in flumine Jordane a Johanne Baptista factum in lapide scissili Islebiensi; Colerus loc. cit.

Maria Sancta gestans in manibus Iesulum paruulum in iaspide; Mylius l. c. Part. I. pag. 29.

Maria St. vitta induta absque oculis, pomum manu tenens in succino prussico; Hartmann Histor. Succ. Pruss. pag. 89.

Maria St. Deipara triplici ornata corona ex ferri fodinis Vriis in lapide conspicua in pago Hergis vel Herrgottswald effossa 1659. Miscellanea Berolin. pag. 141. Francisci l. c. pag. 188.

Maria St. sedens cum infantulo Iesu in brachiis in rene lapideo; Büttner Rud. Dil. Test. pag. 122. tab. 19.

Maria St. in rene lapidis scissilis Ilmenauiensis; Mylius l. c. pag. 46.

St. Iacobus rupi a natura inpressus in vicinitate vrbis Hispanicae in Regno Gallicia Sant Iago di Compostella; Schotti Magia Natur.

Geniu

Genius vna cum suae fidei concredita anima sub specie pueri rubicundi; Francisci l. c. pag. 179.

Mosis diuinae legis promulgatoris grauissimi, itemque arcae Noachicae mirabilis simulacra in lapide fissili Ilmenauiensi; Mylius l. c. P. I. p. 50.

B. Lutheri et *Papae Leonis X.* amicorum amicissimorum scilicet imagines in lapide scissili nigro Islebiensi; Miscellanea Berolin. p. 102. Experientiss. D. Brückm. Magn. Dei Part. II. p. 680. Mylius l. c. P. I. p. 4. sq.

Virgo monialis, et *persona habitu episcopali* in capite infula siue mitra episcopali ornata, et in vlnis infantulum gestans; Dn. Gleichmann in Schedula latina 1735. publicata de Papatu a natura detestato, item Thüringische Nachrichten von Gelehrten Sachen 1735. num. 26. pag. 280.

Iohannes Fridericus Admorsus, Friedrich mit den gebißenen Backen, signum matris infelicis, sinceri intimique sane amoris materni; Colerus l. c.

Apollo cum cythara, stipantibus *nouem Musis* certo macularum ductu ita depictis, vt simul instrumentum cuiusuis Musae emergeret in achate, quam singularem curiositatem rex Epiri Pyrrhus possedit; Plinius Hist. Natur. libro 37. Gueuarra Epist. 17. pag. 2. Francisci Schaubühne Part. I. p. 144.

Homuncio iacens nubibus circumdatus in succino prussico eleganter expressus; Doctiss. D. Brückm. Magn. Dei Part. II. p. 931. tab. 33. fig. 5.

Hominis adorantis species in genua subsidentis expansis palmis, nube caeli ex aduerso faciei pendula; Hartmann l. c. pag. 88.

Caput viri capillamento ornatum in lapide fissili Bottendorffiensi; Excellent. D. Brückmann loc. iam cit. Part. II. pag. 650. tab. 23. fig. 3.

Infantulus in lapide bene repraesentatus, et in montibus Tyrolicis repertus; Mylius Saxon. Subterran. Part. I. pag. 14.

Rusticus indutus veste rubra breuiore, sedens ad ianuam casae suae conuolutis pedibus, seque inclinans s. h. ad pedes purgandos. Venerand. Lesser Lithotheolog. pag. 404.

Viri senioris defecti pilis, barba prolixa, et facie et nasu longiore, itemque *imberbis iuuenis* capillati, facie latiore et rubicundo, nasu autem simo, effigies pectoretenae iuxta se positae, quam optime signatae in marmore Hartzgerodano; ven. Lesser loc. cit. et pag. cit.

Simii simulacrum in lapide Schnebergae Saxon. inuentum; Aldrouandus in Musaeo pag. 457.

Bos contracte iacens eleganter expressus in marmore Maslensi; Hermann Monument. Gratitud. fig. 5.

Lepus erectis auribus, corpore elatiore, sedens et quiescens in latibulo suo, nitide et distincte a natura formatus in dendroide Pappenheimensi, quod singulare Venerab. Abbas Schmidius beatae memoriae,

 saepi-

saepius sed nunquam satis laudatus, quondam auditoribus suis in Collegio curioso non sine admiratione et animi voluptate monstrauit.

Caput porci vel suis hispidi in succini exteriore parte expressum, quod pretio 2000. florenorum in Belgio venisse dicitur; Hartmann Hist. Succ. Pruss. pag. 86.

Araneus in marmore Florentino; celeberrim. D. Brückmann Epist. Itin. 25. pag. 4. Francisci O. W. Ind. auch Chin. Lust- und Staats-Garten p. 1188. alius in dendrite; Lochneri Rariora Musaei Besleriani.

Scarabaeus, formica in lapide; Plinius in Hist. Nat. libr. 37.

Apes in lapide scissili Bottendorffiensi; Mylius Sax. Subt. Part. I. p. 13.

Pauo lapidi a natura inscriptus; Plinius loc. cit.

Gallus in marmore; Kircher. Mund. Subter. Tom. II. pag. 39.

Gallina in rene lapidis fissilis Ilmenauiensis; Mylius loc. cit. Part. I. pag. 47. item Part. II. pag. 73. fig. num. 1.

Aues in fissili lapide Bottendorffiensi; Mylius loc. cit. Part. I. p. 13. Aues et flores varii generis in marmore Eichstadiensi; vide Seyfried Medullam Mirabilium naturae pag. 437.

Auiculae figura silex siue pyromachus vulgaris Croppensis insignitus, forsan Geranites Plinii est; Excellent. Stobaeus in Hist. Natur. de Dendritis pag. 34. num. 20. tab. 11. fig. 5.

Caput vlulae in marmore Dietzensi; celeberr. D. Brückm. Magn. Dei Part. II. pag. 107. tab. 27. fig. 2.

Caput gallopaui cum parte colli in pyrita; venerand. Lesser in Lithotheol. pag. 406. fig. num. 1. et 2.

Caput piscis in succino prussico; Hartmann Hist. succ. pruss. pag. 86.

Insectorum variorum *simulacra* in lapide scissili nigro Andrarumensi, ex cuius fodina aluminaria eruitur, a celeberr. Stobaeo hinc in Hist. Nat. de Dendritis dicitur *lapis insectiferus*.

His adnectere erit concessum lapides, qui aedium paruarum, immo vrbium integrarum praesentationes nobis ante oculos ponunt, quoniam similes prioris generis in dendroidis Schvvartzburgicis quoque offendimus; quales sunt marmora chinensia, quae domus integras vrbes et regiones amoenissimas ostendunt; Francisci O. W. Ind. auch Chin. Lust- und Staats-Garten p. 1149. itemque marmora Florentina, horum singulare prorsus exemplum est, quod Kircherus in suis scriniis adseruasse scribitur, nescio, an optimus etiam pictor vrbem melius delineare possit, adeo cuncta adcurate secundum artem et quasi regulam repraesentata, murus enim cum aperta porta, turres, domusque cum fenestris adsunt; Francisci loc. cit. p. 163. num. 3. fig. 8. de rude-

ruderibus vrbium, marmoribus Florentinis inpictis, res in vulgus nota, horum elegans exemplar aeri incidi, et Epist. Itiner. XXV. tab. 1. inseri curauit curiosiss. D. Brückmann.

Adhuc lapides, qui signati sunt picturis alabandeis, vulgo grotesquen, Grillenwerck, propter saepius intermixtas figuras hominum, animalium, horumque partium; inter primos erit referendum marmor Masselense, celeberr. D. Brückmann Magn. Dei Part. II. pag. 841. tab. 28. fig. 2. Hermann Monum. Gratitud. fig. 2. huius eiusdem Maslographia tab. 18. fig. 13. sqq. marmor Dietzense, Experientiss. D. Brückmann loc. cit. tab. 27. fig. 1. et 3. marmor Jenense, Schutteus in Oryctographia Jenensi pag. 73. tab. 2. fig. 3. marmor Keulanum, Lucubratiuncula nostra II. de Alabastris Schvvartzburg. pag. 23. et marmor Blanckenburgicum discolor, Excell. D. Brückmann Epist. Itiner. XXXVII fig. 4.

Finem huius recensionis faciat *Mors* terribilis cum falce sua crudeli in succino prussico; Hartmann Hist. Succ. pruss. pag. 88. *Caput mortis* vulgo Todten-Kopff in marmore Maslensi, Hermann Monum. Gratitud. fig. 6. *caput mortis* in rene lapidis fissilis Ilmenauiensis; Mylius Saxon. subterr. Part. I. p. 50. n. 3. *Mors* quippe *vltima linea rerum*, et *Mors etiam Saxis marmoribusque venit.*

Attamen monendus adhuc Beneuolus Lector erit circa adductos naturae lusus, nimis quantum saepius spectatores, vel etiam quosdam naturae curiosos vel indulgere vel fidere phantasiae & imaginationi suae, praesertim in rebus iis, quae religionem concernunt, ex superstitioso siue coeco religionis zelo subscribere odio, hinc saepenumero variae rerum denominationes ridiculae veniunt, quare optimo iure verba iocantis Büttneri a) nostra facimus; Wenn ein Wunder-Prediger sagt, hie oder da ist Christus am Creutz, die Liebe Maria mit dem lieben Christ-Kindlein, Johannes der Täuffer, der heilige Jacob, der grosse Christophel, ein Mönch, Luther, der Pabst, Apollo mit den Musen im Gesteine, so glaub es nicht, es ist nur ein Spiel der Phantasie, oder auch offt eines künstlichen Betrügers Werck: secundum haec *disce cautius mercari.*

§. VII.

Genesin Zoolitho - Dendroidum quod attinet, causam eius proximam veramque esse vel materiam subtilem, mobilem, fluidam; vel succum vitriolicum, salinum, martialem; vel particulas volatiles, spirituosas, sulphureas, bituminosas, lapidum fissuras, seu ipsos interdum lapides penetrantes, physici experientissimi vno adfirmant ore. b) Offendiculum autem erudi-

a) Rudera Diluuii Testes pag. 124.

b) Excellent. D. Brückmann Epist. Itiner. 25. pag. 4. Ferr. Imperati Hist. Nat. pag. 745. Volckmann Silesia Subterr. pag. 60. Büttner loc. cit. pag. 125. et alii.

eruditorum maximum merito dicemus proprium formationis modum, hic saepissime torquet viros etiam doctissimos, vt hinc cum physico illo et theologo Anglicano fama celebratissimo a) in haec erumpere verba, iustam sibi putent causam: Ich kan, inquiente, nicht bergen, daß es ein phoenomenon in der natur gibt, welches mit der klugheit, so in allen ihren wercken wahrzunehmen, nicht zusammen reimen kan, und welches starck zu beweisen scheinet, daß die natur bißweilen spiele, und gewisse figuren zu keinem andern ende, als zur zierde einiger steine, oder zu unterhaltung und befriedigung unserer neugierigkeit, oder zu übung unseres verstandes entwerffe und abschildere. Dieses phoenomenon bestehet in dem zierlichen eindruck der blätter von pflantzen (horum loco potiore iure substituamus liceat dendroidas) die man auf den steinkohlen oder schiefern wahrnimmt. Haec, haec, inquam, res deduxit viros alias sagacissimos, perspicacissimos ad varias stolidas fictiones et ingeniorum deliramenta, alii cum somniauerint formam quamdam substantialem et figuratam, alii qualitatem occultam, alii auram seminalem, vel vim quamdam plasticam, alii animam spiritumque mundi, alii influxum stellarum, alii irradiationem caelestium corporum, alii archaeum seu principium quoddam in globo terraqueo operans atque figurans, caetera, et si dicere fas erit, quae cogitamus, credimus, in physicis rem nullam habuisse foecundiorem matrem, quae plura ingenii monstra excluserit, quam hanc ipsam de lapidibus figuratis doctrinam; explosis autem horum sententiis, aque viris grauibus, et in rerum naturalium cognitione probatis iam diu rationibus aequissimis et optimis reiectis, cum sanioribus et auctoritate pollentibus philosophis tutius confugiemus ad naturae lusum; naturam vero quando nominamus, neutiquam intelligimus naturam, quam gentiles censuerunt immani errore ipsum Deum, quamque dixerunt matrem, parentem communem, opificemque rerum, b) de quo idolo Silius Italicus, aemulus et imitator Virgilii felicissimus canit: c)

Heu primae scelerum caussae mortalibus aegris
naturam nescire Deum.

Sed naturae lusus in lapidibus iam descriptis et adhuc describendis nihil aliud nobis est, quam formatio figurarum, caussa vel aeris irrumpentis, vel caloris vel frigoris constringentis efficiente delineatarum, sub quocunque nomine veniant, fortuita, nulla vrgente necessitate, vel naturae lege necessitante; huiusmodi figurarum formationes existunt in fenestris praegelidi frigoris tempore; vel in aqua frigore durata, praecipue formosas et oculis iucundas repraesentat figuras, si aqua variis tingitur coloribus; vel in lapide pictorum

a) Joh. Raius in Betrachtung von der Welt Anfang, Veränderung und Untergang p. 177.
b) Cicero Tusculan. Quaestion. libr. V. cap. 13. idem libr. I. de Natur. Deor. cap. 8.
c) Libr. IV. vers. 794.

rum tritorio celeriter sublato cursore, der läufer, vti communiter solet adpellari, eodem modo fiunt et in lapidibus. Hunc autem naturae lusum admittit, qui instar omnium sit, diuinus ille Leibnizius eruditae Germaniae singulare plane decus in peculiari epistola ad B. Spenerum de figuris lapidibus inpressis, a) inter alia inquiens: Licet multis ingeniosis argu-„ mentis prolatis amplius deliberandum censeat, an non subsint, quos vul-„ gus vocant, *naturae lusus, quod nec de omnibus negauerim*, in multis tamen aliud„ iudicandum exactissima illa conformitas probat, reliqua.

§. VIII.

De vsu pauca addimus, medicus est nullus, mihi minimum ignotus, mechanicus contra ea potest esse varius et praestans, adhuc quidem tabulae modo hoc ex lapide sunt paratae, quarum nonnullas elegantes in nostris scriniis adseruamus, etiam naturae amatoribus vel curiosis dono obtulimus, de harum quibusdam infra singularem descriptionem dabimus; sed sumus persuasissimi, bonus quando artifex his nostris Sondershusanis Zoolitho-Dendroidis vti norit ad variegata opera, vulgo fournirter arbeit, siue sint mensulae ad sorbendam theam vel caffeam aptatae, Thee-Caffe-Tischgen, siue arculae, siue scriniola, reliqua, ad exornationes conclauium, gratius et iucundius oculis, etiam animo mirabilius nihil effici et repraesentari posse, quam haec; et qui haesitare volumus libere profiteri, opera ex nostris Zoolitho-Dendroidis parata propter varietates figurarum ab ipsa artificiosa natura pictarum longissime superare opera ex famigeratissimo marmore Florentino confecta. Princeps Serenissima Elisabetha Albertina, Vxor suauissima Guntheri Principis Schvvartzburgico-Sondershusani Serenissimi, doctissimi, amatrix rerum naturalium maxima, scalptorem accersit, ab eoque pyxidulas ad puluerem sternutatorium reponendum, communiter tabatiere, ex hoc dendroide, et ex marmore conchifero Keulano aliisue, auro atque argento inclusis, fieri curauit, et sane neque formosius, neque pulcrius videri quidquam poterit.

§. IX.

Sequuntur quaedam obseruationes curiosae, & experimenta curiosorum circa dendroidas ab ipsis instituta, quae erunt:

I.) Arbusculae plerumque sunt planae, interdum quoque offenduntur elatiores, nimirum in Silesiaco-Cuntzendorffiensibus dendritis, b) cuius caussa est materiae affluentia.

II.) Vbi in lapididus fissurae sunt, succus tinctorius illas penetrat, et ad latus vtrumque parua fruticeta format, in fine autem vt plurimum se expandit, et emittit frondes longiores latioresque, hinc formam arbuscularum quodammodo adsimulantur.

a) quam euolue sis in Miscellan. Berolinens. pag. 118. sqq.
b) Volckmann Silesia Subterranea pag. 59.

III.) Dendrites roseus quidam auditur, quia plures eius ramificationes in extremitate sua rosis prouenientibus similes sunt; a) de hoc eodem commemorat Venerabilis Liebknecht b) his verbis: quod nostram attinet arborem, Franckenbergensem dendritem intelligit, in ramulorum extremitatibus hinc inde conspiciuntur quasi flosculi, alium fere colorem exhibentes, quam quidem ramuli et folia ipsa solent.

IV.) In nostris dendroidis Sondershusanis saepius deprehendimus maculas, modo maiores, modo minores, coloris vel nigri, vel punicei, quas nominare liceat Farbgallen, has quando laeuigauimus, extremitates fruticetis nitidis fuerunt circumsessae.

V. Plurimae arbusculae haerent solummodo in superficie lapidum, rariores ipsum penetrant lapidem, harum in numero sunt habendi supra iam indicati dendroides Suhlanus, Jenensis, Bottendorffiensis, Lembergicus, Schvveinfurtensis, Sicilianus, denique Schvvartzburgicus.

VI.) Dendritis eleganter pictos fuisse reperimus Oolithos Halberstadienses, qui maxima copia in itinere a nobis sunt lecti prope ditissimum optimeque aedificatum ab episcopo Halberstadiensi Reinhardo 1112. fundatum monasterium St. Augustini Hamersleben, et quidem in agris iuxta viam, quae ducit Helmstadium academia sua satis celebratum; c) Conchites Silesiacos; d) Conchas anomias Honsteinenses; e) dentem Canstadiensem ex Ducatu Wurtembergico, quem possidet Excellent. D. Brückmann, Medicinae Practicus Wolffenbuttelensis celeberrimus; f) et B. Scheuchzer mentionem facit fossilis cuiusdam diluuiani ossei hactenus ignoti, g) in cuius fracturis elegantes arbusculae fuerunt conspicuae, ex agro Florentino; etiam dentem maiorem longioremque elephantinum ex Principatu Querfurtensi. h)

VII.) Imaginum simulacra, itemque arbuscularum in lapidibus pictarum communiter euanescunt, quando carbonibus inponuntur candentibus, ignem vero patiuntur, eiusque vim eludunt dendrites Florentini; i) similiter lapis morochtus.

VIII.

---

a) Langius Histor. Lapid. Figurat. Heluetiae pag. 39. tab. 9. fig. 2.

b) In Specimine Hassiae Subterraneae pag. 167.

c) Celeberr. D. Brückmann Specimen Physic. exhibens Historiam Oolithi p. 8. et 16.

d) Hermann Maslographia pag. 227.

e) Lucubrat. nostra I. de Alabast. Honstein. pag. 14. Excell. Stobaeus in Hist. Natur. Dendr. pag. 17.

f) Hamburgische Berichte 1735. Num. 25. pag. 224.

g) Musaeum Diluuianum pag. 17.

h) Büttner Ruder. Dil. Test. pag. 62. Vener. Lesser Lithotheol. pag. 169.

i) Excellent. D. Brückmann Epist. Itin. 25. pag. 4.

VIII.) Ferrandus Imperati, a) et alii abradunt arbusculas, inque carbones candefactos iniiciunt, tunc sentitur odor bituminoso-sulphureus, hinc recte coniicimus, non esse, vt quidam perhibent, arbusculas veras petrifactas, nec muscum verum petrifactum, nec etiam inpressiones fruticum in molliorem lapidis superficiem factas.

IX.) Quærit quidam amicus causam phaenomeni, qui nimirum fiat, vt arbuscularum figurae non inuicem confundantur, nec rami inplicentur? & sibi ipsi aliisue sua responsione facit satis, dicens: penetranti fluido debetur illa distincta arbuscularum, fruticetorum, nemorum, aliarumque figurarum expressio, nisi haec a copia allabantium vaporum inpediatur.

X.) Experientissimus Jesuita Kircherus b) ingeniose excogitatum proponit modum arte desideratas figuras quascunque in lapides pingere, qui talis est: misce colores, qui minerales sint, necesse est, vitriolo, aqua sale saturata, et oleo lapideo destillato admixto alumine, hoc praeparato colore effinge figurarum simulacra quaecumque in chartam, hanc mitte sub duas marmoreas bene politas tabulas, quas obline ad latera aperta vel cera vel pice, ne intrent humores, denique infode has terrae, omnibus cum cura peractis, ad aliquot menses, his praeterfluxis protrahe illas, et non solum in superficie imagines penicillo in chartam antea pictae adparebunt, sed ipsa penetrabunt marmora. Verum enim vero ingenue vt fateamur, a nobis inpetrare nondum potuimus, vt adiiciamus dictis calculum nostrum, hac ex ratione potissimum inducti, quia longe aliam conditionem vimque vaporibus mineralibus in terra igne subterraneo agitatis adscribimus, vel adscribendam putamus, quam extra illam arte praeparatis coloribus mineralibus, quum tota eorum substantia immutatur.

§. X.

Nunc ad rem ipsam nos accingimus, ob quam calamum arripuimus, et quae nobis praecipuae ad scripturam hanc præbuit ansam: Ante duos et quod excurrit annos in lucem publicam edidimus *Lucubratiunculam de Alabastris Schvvartzburgicis*, adnexis simul rebus eiusdem terrae naturalibus, quas tunc temporis habebamus cognitas, qua in pag. 22. Dendroidis pulcerrimi HoltzEngelensis mentionem iniecimus his verbis: »Hic dendrites est genus marmoris Florentini, et quidem lapis caesius, lubricus, et tactu» non aliter ac sapo venetus, fruticeta vero et arbusculae, interdum quo-» que in illo quasi apum examina conspiciuntur, eleganter colore nigro de-»

D pictae

a) Histor. Natur. pag. 578.

b) Francisci O. W. J. Chin. Lust-Staats-Garten pag. 179. adhuc aliter Paulini Zeitkürtzende erbauliche Lust Part. I. p. 286. Kircherus ipse Mund. Subter. Tom. II. pag. 39.

»pictae ipsum penetrant lapidem et non in superficie modo, vt commu-»niter fit, haerent; » etiam elegans exemplar aeri incisum adiecimus: Sed quando amicus quidam nobis transmisit rogatu nostro quosdam huius generis lapides, et curam habebamus, illos serra dissecari, debite praeparari, laeuigarique, nobis nec sperantibus, nec cogitantibus quidem tale iucundum oculis et animo gratum spectaculum forte fortuna se se detexit, quod celare curiosis nefas ducebamus, simile quoniam vix ac ne vix quidem facile occurret.

Ne quis vero arbitretur fortasse, nos fingere quid, vel inponere velle curiosis, ac plus saepius in naturae rebus solet fieri, lapides ipsi adsunt rerum testes locupletes, et plurimi contemplatores oculati, qui non sine admiratione et animi delectatione haec miranda spectacula sunt intuiti, priores cuique naturae aestimatori ante oculos poni, atque re ipsa probare possunt, quod posteriores verbis testari et confirmare; insuper curae cordique nobis fuit, quantum ars potuit imitari naturam, vt aeris caelator pro artis suae scientia adcurato stylo scalperet quaeque, ad satisfaciendum curioso lectori extraneo, et quo sit rei iudex iustior et sanctior.

De lapidis patria seu loco natali aliisque circumstantiis particularibus quondam propter inscitiam omissis pauca adhuc dicere volumus, is est Holtzengel pagus praefecturae Klingen Principatus Schvvartzburgico-Sondershusani, quo in monasterium Ilfeld et Nobiles de Werthern aliquot triginta iugerum agros vectigales habent, proximus iacet syluae, in huius vicinitate euronotum versus est fossa, quae auditur der Schneidgraben, in hac ad aliquot orgyas aquae pluuiatiles torrentesque nudarunt lapides, de quibus heic sermo, magnitudine pedes duos ad summum superantes; omnes eiusdem sunt generis, eiusdem coloris scilicet lucido-caesii, eiusdemque duritiei, idcirco polituram admittunt optimam, ast imagines in illis compluries variant, id quod descriptio trium exemplarium certe elegantissimorum pluribus declarabit sub numero I. II. et III.

Tab. I. num. I. Numer. I. Lapis est quadratus, quatuor pollices longus, tres pollices latus, vnicum pollicem crassus, coloris lucido-caesii, arbusculae et fruticeta coloris sunt nigerrimi, intermixtis nonnullis ramulis coloris punicei, qui rarior occurrit, iucundum praeterea oculis praebet spectaculum; vtraque latera optime sunt polita, et tactu mollissima huius lapidis vnum latus repraesentat quasdam sic dictas arbusculas bene signatas, adhuc fruticeta, etiam supra indicatum descriptumque dendritem roseum; alterum latus exhibet non nisi fruticeta coloris vel punicei, vel communiter tam atri, ac carbo ipse est.

Numer. II. Lapis iterum est quadratum oblongum seu parallelogrammum, longitudine emetitur sex pollices, latitudine quatuor, et crassitie pollicem fere vnum, ambo latera optime polita, color, durities cum antecedente idem, picturae autem plane singulares, quales nobis quidem inter plus quam centenos dendrites diuersae patriae numquam occurrerunt, et merito dubitamus, quin vlli alii curioso; natura enim designauit primis solum lineis more pictorum regionem quamdam, plenius et dilucidius elaborandam: in huius lapidis vno latere conspiciuntur colles subtilissimis fruticetis ornati, montes parui accliues, mons maior cum rupibus et saxis praeruptis, in quibus modo hic, modo illic gramen longius vel arundo arida exsurgit, ad huius montis radices arbor minus alta, similiter casa rustica fronde quasi viridi in culmine ornata, ac nouissime positae domus solent ornari, conspicua; haut procul abhinc auis peregrina maior, struthioni non absimilis, eleganter picta, adunco et acuto rostro, in capite gerens more pauonum arbusculas crinitas, hinc vulgo Pfauen-Cron dictas, priuata tamen oculis, et in vtrisque pedibus vnguibus, cauda etiam obtegitur arbore altiori, cui adstat; supra hanc inpendet punctulis subtilissimis signata nubes maior et nigrior, emittens quasi fulgura et fulmina, reliqua, stupendum sane opus naturae et maxime mirandum, hoc adspicientes et penitius pensitantes recte, immo rectissime cum B. Luthero heic exclamemus: *O quantum est, quod ignoramus!* in altero lapidis latere videtur mons grandis obsessus fruticetis distincte expressis. Hunc mirabilem et iucundum naturae lusum simul cum aliis rebus curiosis dono transmisimus Excellentissimo *D. Hugo*, Consiliario et Archiatro regio Anglicano, Patrono nostro summo, in testimonium nostrae aestimationis inque eum obseruantiae. Tab. I. num. II.

Numer. III. Lapis habet figuram geometricam nempe trapezoidalem, longus est ipsum pedem, latus tres pollices, crassus semipollicem, segmentum hoc est lapidis, qui crassitudine ipsam excedebat palmam, ambo latera sunt optime laeuigata et polita, etiam subtili et perlucente vernice obducta, hinc multo elegantius et viuidius sistuntur omnia; naturali magnitudine hunc, et iam descriptos lapides aeri caelari curauimus, fruticeta, arbusculae, imagines reliquae elegantissime et plenissime sunt expres- Tab. I. num. III.

pressae, nigerrimi coloris; sed quod nomen huic lapidi inponamus, ipsi haesitamus, forsan cum B. Baiero illum nominare possimus *Archipelagitem*, cuius quidem descriptioni non absimilis,a) concedet tamen beneuolus Lector et spectator curiosus, nobis imaginari, lapidem repraesentare quoddam stagnum, margines cuius circum circa fruticetis sunt obsessae, in hoc adparere insulas maiores, minores, minimas, easque fruticetis mollibus obductas, et quod inprimis admiratione dignum, simul in illis videri aedem paruam cum fumario, non procul hinc animal quoddam quadrupes, cui spectatores nomen vrsi indiderunt, quippe cuius non dissimilis, adhuc auem cauda longiore, in capite pennis longioribus et erectis ornatam, expansis alis per auras volantem, exactissime a natura ludente expressa quaeque; et quia notatae figurae ipsum penetrant lapidem, in altero latere similiter indicata adparent, hac solummodo variatione, vt dicta animalcula desiderentur, etiam hic vel illic nouus quasi efflorescat ramulus arboreus, inprimis, si lapis fissuras paruas acceperit. Quando nunc secundum prouerbium: *Deus et natura nihil faciunt frustra*, aequum erit, haec miracula adspicientes Deum mirabilem, inque operibus suis inperscrutabilem debite mirari, atque decentibus laudibus extollere, namque testante Psalmista: *Opera Iehovae magna, exposita omnibus, qui delectantur illis, gloriosum et decorum opus eius.*

§. XI.

Ad finem quando nunc est properandum, ne fatigemus lectores plura enumerando, memores sumus nostri promissi in titulo facti, quod vt exsoluamus, habeas, honoratissime Lector, circa clausulam, quae insuper curiosa et res naturales ad nostram hactenus peruenerunt notitiam, ac illa pleraque humanissime nobiscum communicauit nobilissimus dominus J. G *Briegleb*, Pharmacopaeus aulicus et vrbanus in oppido Sondershusa, praeclare praeditus arte sua, curiosus rerum naturalium, quarum etiam, inprimis Schvvartzburgicarum, Collectionem praeclaram adseruat, mechanicus quoque artificiosus, Amicus noster vetus, amicissimus, in Supplementum Lucubratiunculae nostrae II. de Alabastris Schvvartzburgicis MDCCXXXII. in lucem emissae secundum ordinem geographicum in citato scripto a nobis obseruatum, citata pagina, ad quam singula referenda: Pagi-

a) in Sciagraphia Musei sui et Supplementis Oryctogr. Noricae pag. 49.

Pag. 9. Pluribus descripsimus soleam equi ferream vulgo ein Hün-eisen, de cuius rei veritate tunc versabamur in dubio, iam vero ex circumstantiis melioris edocti, inque veritate confirmati adplaudimus, praeterita quippe demum aestate, cum via in aulae principalis commoditatem in valle, quae auditur der Schlinck vel das Hünthal, aptaretur, sunt effossae duae *hastae ferreae*, harum vna recta et decem atque semi pollices longa; altera incurua, potius intorta ipsos duodecim pollices longa; porro *calcar antiquius*, vnico modo instructum aculeo; *solea equi ferrea*, ein Hüneisen, cui infixus adhuc fuit *clauus capite rotundo*; vrna sepulcralis cinere et ossibus repleta, quae vero operariorum incuria diffracta: et testante maxime Reuerendo *Oleario* a) iam anno MDCXXXXII. ad locum, cui nomen est der Sültzenborn, aratro erutum *gutturnium maius Hungaricum* ex aere conflatum, repraesentans equitem equo insidentem, in cuius pectore est epistomium paruum ad aquam emittendam. Comes GUNTHERUS LUDOUICUS II. tunc regnans hoc vas sibi adferri iussit, et adseruatum tamdiu in bibliotheca Arnstadiensi, donec Princeps Serenissimus GUNTHERUS hoc monumentum internecionis ferorum et immanium Hunnorum hoc in loco factae Technophylacio Dresdensi famigeratissimo dono transmisit MDCCXXXI.

Tab. II. fig. 1. et 2. T. II. Fig. 3. T. II. Fig. 4 T. II. fig. 5. T. II. Fig. 6.

Pag. 10. Ad vrbem Sondershausen, alabastrum repertum lucido-caesium intersparsis miculis frequentioribus spaticis coloris obscuro-caesii. Alabastrum album insparso rubro. Alabastrum aliud album caesio intersparso spato.

Pag. 12. Ad vrbem Franckenhausen alabastrum album cum caesiis taeniis. Alabastrum lucido-cinereum intermistis taeniis et maculis eiusdem coloris, lucidioris tamen; ceterum montes septentrionem versus sunt calcarii; et in monte dicto der Schlachtberg, cum lustraremur hunc locum internecionis rusticorum quondam rebellium, offendimus totas rupes spaticas ex terra eminentes, quae a sole illuminatae splendorem emittunt maximum, ita vt oculos perstringat.

In monte dem Kiphäuser alabastrum album cum maculis flauis, nigris puniceisque. b) Anno MDCCXXXV. tertia vice conscen-

a) Parte I. Syntagm. Rerum Thuringic. pag. 195.

b) Venerand. Pastor Lesser in Lithotheol. sua pag. 297.

scendimus commemoratum montem cum quibusdam amicis illis vicinis ad oculos pascendos et ad memoriam antiquitatis renouandam, aque turre adpellato des Käyser Friedrichs Thurn usque ad sacellum in extremitate montis positum, quod peculiari muro septum, passus communes sexcentos et sexaginta octo numerauimus, in hac montis summitate secundum longitudinem et latitudinem aedificia et plurima munimenta pro eius temporis ratione fuerunt structa; in concameratione portae Erfordiensis constitutus caelo admodum sereno castellum munitissimum, der Petersberg dictum, vrbis Erfurt, quae hinc octo milliaria sita, conspicere potuimus, inde etiam sine omni dubio nomen portae erit sumtum, quia nominatae vrbis plagam prospicit; Northusanis ciuibus ex nundinis Lipsiensibus redeuntibus hic mons idem est quod Hollandis ex India Orientali reuertentibus Caput Bonae Spei, Cap de Bon Esperance in vltima Africa, sperantibus nimirum, se lares patrios mox iterum salutare, inque suos dulcem caritatem partiri posse; ad radices huius montis septentrionales est longus collis et cespes virens, qui ab accolis adpellatur die Teufelsmauer.

Pag. 14. Mentionem iniecimus fabulae notissimae de imperatore Friderico Barbarossa, huius speciosam nonnulli adferunt explicationem, quando aiunt, fuisse antiquissimis temporibus in monte dem Kiphäuser fodinam metallicam cupream ditissimam, nominatam Käyser Friedrich der Rothbart, hinc originem totius fabulae trahunt, sed adnuere his ideo non possumus, quia nullum plane indicium cuiusdam fodinae, vel etiam officinae cuprariae reliquum, insuper horum locorum reique metallicae peritissimi mihi sciscitanti adfirmarunt, saepius hac de re experimentum institutum, terramque fuisse fossam, metallici vocant schürfen, sed non nisi lapides minus aerosos fuisse repertos.

Pag. 15. Arcem montanam dirutam die Rotenburg iterum visitauimus MDCCXXXV. haec non admodum ampla fuit, vti ex ruderibus et montis cacumine facile coniicere licet, rudera satis conspicua supersunt, inprimis turris rotundae, crassae, validissimae, et sacelli, in quo priscis temporibus idolum Thuringorum veterum der Püster adoratum veneratumque; etiam in montis medio iuxta viam, et haut procul hinc altare lapideum, in

in quo prisci profani Thuringi immolarunt; itemque lucus, vti adhuc hodie auditur der Hayn, ad montis radices supersunt. Quidam incolae praefecturae Kelbra et Heringen inter se diuisos habent agros, qui ad flamines seu huius idoli sacerdotes quondam pertinuerunt, hinc etiam immunes et liberi ab omnibus oneribus, adhuc veniunt his nostris diebus sub denominatione die Flämische Ländereyen, et sunt feudum solis, haeres vero vel emtor eorum tenetur, statuto tempore illos agnoscere certo ritu a maioribus tradito, quod verkirchgängen adpellant, dum altare circumeunt, donumque offerunt, nisi partem illorum velit amittere, possessores audiuntur die Flämige, et horum caput der Flämische Schultheiß, qui eorum iura peculiaria, ritusque obseruat. Hoc ex monte prospectus admodum iucundus in subiacentem Guldenauiam frugiferam, in qua plurima sunt domicilia, de qua Comes Stolbergensis *Botho* redux ex terra sancta MCCCCXCIII. quam adierat religionis caussa, rectissime dicere poterat: Ich lasse einem das Gelobte Land, und behalte mir die Güldene Au in Thüringen dafür. Mons etiam commodissimus est Principi harum regionum propter syluam, venationes et lapides inde eruendos molares aliosque. Via vnius horae hinc in supremo monte inuia, aspera et inaequabilis, fructosa ducit ad castellum dirutum et desertum Kiphausen, quae mihi in equo vehenti tanto molestior fuit.

Pag. 18. In fodina argillacea Sondershusana saepius reperiuntur ossa calcinata maiora, plerumque medulla sua adhuc repleta, itemque dentes molares calcinati ipsam pugnam adaequantes, pondere duodecim et plures semuncias; porro lapides Zingiberi, denique globuli lapidei angulares, inaequales, interdum compressi, nonnulli ex his vehementer moti sonum reddunt, ac aetites solent. In valle dem Brückenthal pyrites curiosus sane inuentus est, ex quo capillus naturalis longior prominet; in agris vero huius vrbis lapis alius exactissime adsimulans nucem grandiorem eine Wallnuß, cuius putamen exterius detractum, quam hinc in lapidem conuersam credas, et sane nec ouum ouo similius quidquam poterit esse.

Pag. 20. In monte dem Frauenberg offenduntur tabulae lapideae crassitie vnius ad summum digiti, in quibus conchae laeues et vniualues videntur etiam in nostra sententia, quam hac ipsa pagina de anatibus aurum in stomacho habentibus ostendimus,

sumus

sumus confirmati, quando ex scriptis aliorum quoque intelleximus, in stomachis anserum Salae Thuringicae chrysorrhoae innatorum, a) similiter in capitibus piscium ex eodem flumine granula aurea fuisse reperta. b)

Pag. 22. Pagus Holtzengel, heic leguntur cornua Ammonis, pyrites cum inclusis silicibus minoribus, etiam singulare et curiosum plane stratum, cum modo sit stratum ossis naturalis, calcinati, albissimi, modo stratum lapidis candidissimi, modo stratum sit crystalli subtilissimi, sed horum nullum crassitie superat cultri dorsum. Ad pagum Thüringhausen conchitae, musculitae, non minus nautilitae vel cornua Ammonis.

Ad oppidum Grossen Ehrich conchitae, et dictae incuruatae caudae cancrinae, quas adsimilant, cum exactis suis iuncturis, has si frangis, adparet cauitas quaedam, cuius latera in medio crassiori filo lapideo vulgo einem Kern cohaeserunt, nihil vero aliud sunt, quam nautilorum fragmenta. c)

Pag. 23. Ad oppidulum Keula leguntur magna copia trochi, sic quoque hoc loco elegans concha maior striata reperta, quatuor pollices lata, variis praeterea verrucis ornata; et nouissimo tempore heic etiam lapis rarissimus encrinus gaudens aliqua parte pediculi sui inuentus.

Commemoratus mons die Hasenburg accliuis est, ascensu arduo, in summitate autem planus, vbi plurimas offendes paruas concamerationes subterraneas, quas vulgus latibula latronum pristinis temporibus bellicis putat fuisse, et eiusdem fere sunt structurae ac die Zwerglöcher in vicinitate monasterii Walckenried, oppiduli Hercynici Elbigerode, et officinae ferrariae ad flumen Bodam Rübeland. d)

Pag. 24. Singularis omnino aetites lectus est in agris Franckenhusanis magnitudine monetae octo grossos valentis, coloris obscuro-punicei, quoad formam externam erat formosissimus et perfectissimus pectinites laeuis, et quia in medio fissus erat, videbatur intus lapillus flauus, a physicis collimus dictus, hinc motus sonum reddebat.

Ex

a) Schüttei Oryctographia Jenensis pag. 93.
b) Eucelius de Re Metallica libr. I. pag. 14.
c) Büttner Rudera Diluuii Testes pag. 271. tab. 30. fig. 1.
d) D. Behrens Hercynia Curiosa pag. 74.

Ex monte dem Kiphäuser nuper demum a quodam amico, nobis quam iucundissimo, portionem haut paruam lithoxyli optimi, coloris lucido-cinerei dono accepimus, etiam trochos distincte expressos, ast locus specialis, vbi reperiuntur, nobis non est indicatus.

Ad pagum Steinthaleben effoditur argilla albissima et subtilissima, quae fortassis apta esset ad paranda ex ea vasa Sinica fictilia.

§. XII.

Praeter descripta naturalia et curiosa terrae Schvvartzburgicae porro alia nobis innotuerunt locorum quorumdam in antecedentibus non commemoratorum, nempe

Ad pagum Holtzsußra praefecturae Ebeleben cornua maiora, ac communiter solent; conchae striatae nitidae; marmor durissimum variis conchis praegnans.

Ad pagum Hauröden praefecturae Bodungen tophus pulcerrimus, cui folia quercina, fagina, et saligna eleganter sunt inpressa; in huic vicino monte dem Ohmberg conchites; conchulae striatae; et genus capitis Medusae.

Ad pagum Grossenbrüchtern praefecturae Keule, in quo nobiles de Heringen habent possessiones auitas satisque comodas, trochi copiosi.

Ad pagum Himmelsberg praefecturae Schernberg, cornua Ammonis, et conchae variae.

Ad pagum Bliederstädt praefecturae Sondershausen variae conchae, et lapides pictoribus aptissimi ad colores terendos praeparandosque.

Krage pagus praefecturae Grossen Bodungen in huius vicinitate supra vallem das Hasenthal mons est, dictus der Bocken, quo in cauerna profunda das Silberloch adpellata, forsan ex hac quondam terra argento praegnans effossa, ac hodie ex spelunca Baumanniana et Schartzfelsensi terra auro praegnans eruitur, vt nomen hoc illi sit inditum, cuius aditus fere occlusus a dilapsis lapidibus, quam adhuc nominatus fons monachicus der Mönchsborn influit, de hac plebs credula ridiculam habet relationem, olim scilicet inhabitasse istam pygmaeos, a quibus multa perpessi fuissent mala adcolae, dum interdiu occupassent agros lentibus, pisonibus, fabis et viciis consitos, complessentque ventres, et eos quidem diductis labiis porcorum mandentium sonos imitantes audiri, sed videri non potuisse, nox quando insecuta esset, iterum in cubile suum concito gradu properassent; contra ea adcolis quoque fuissent in

hoc vsui, vt, si quid resarciendum texendumque habuissent, illud adposuissent cauernae, quod proximo die mane integrum, perfectum et absolutum in eodem loco, quo posuissent, reperissent, mercedis loco dedissent lardum, farcimina, butyrum, caseos, panem, pecuniam vero hi homunciones pusilli accipere recusassent; hic est vulgatus ordo narratae rei, ast

Hoc credat Iudaeus Apella.


Ad pagum Wassertháleben praefecturae Sondershausen, in quo possessio principalis camerae commodissima est, marmor conchiferum; in quibusdam lapidibus cauernosis paruae crystalli; concharum opercula; conchulae laeues et striatae; conchites varii; testudines magnitudine tres pollices emetientes; caudae cancrorum incuruae, supra iam descriptae; et concha maxima laeuis vndecim pollices longa, sex pollices lata, ponderans ipsas decem libras.

Ad oppidum praefecturale Güldenauiae Kelbra, et in huius agris aetites, quando agitatur, sonorus propter lapillos cauitati inclusos, ceterum ex meris minutis lapillis, arena et terra lutosa conuolutus, huiusmodi sunt etiam aetites, qui in fodina arenaria Hallensi eruuntur, horum varia ad manus nostras peruenerunt exemplaria; adhuc lapis ruber et admodum durus adsimilans lithoxylum, quem hinc nonnulli putant tale, hic copiosus adest. Sed


Claudimus iam riuos, sat prata biberunt.







III.



Tabula I.

III.


II.



Num. I.



Tabula II.



Tabula II.

